

drachmas centum linteo illigatas musti am-  
phoræ indito. Valet contra difficiles coctio-  
nes, cibî fastidia, graues ructus, neruorum &  
præcordiorum dolores, frigoris hyemalis  
horrees: itemque aduersus animalia virus  
ciaculantia, quæ quidem iectu suo locum re-  
frigerant & putrefaciunt.

*De vino Thymbrite.* CAP. LX.

Simili modo è Thymbra vinum sit: quod  
eadem quæ Thymites præstat.

*De vino Origanite.* CAP. LXI.

Sic & Origanites ex origano Heracleoti-  
co conficitur, haud secus atque Thymites, &  
ad eadem quoque est efficax.

*De vinis è Calamintha, Pulegio & Abrotono.*

CAP. LXII.

E Calamintha, Pulegio & Abrotono vina  
fiunt, eodem quo Thymites modo. Profunt  
stomachicis & cibum auersantibus: ac valent  
etiamnum ad morbum regium, propterea  
quod vrinas cident.

*De vino Conyzite.* CAP. LXIII.

Similiter & è Conyzâ vinum sit: quod con-  
tra venenata præcæreris est efficax.

*De vino Aromatite.* CAP. LXIV.

Vinum Aromatites ita componitur: Pal-  
mæ, aspalathi, calami, nardi Celtici, singulo-  
rum vncias singulas postquam contriuueris,  
passo subigit: indeq; factas grandiores offas

M m iiiij.

in musti austeri sextarios duodecim deiicitio, & operculato vase quadraginta dies macerari finito: excolatum deinde vinum recondito. Est & altera eius parandi ratio: Calami drach. viij. phu drach. vij. costi drach. iiij. nardi Syriaci drach. vij. cassie drach. viij. croci drach. iiiij. ainomi drach. v. afari drach. iiiij. Hæc, inquam, omnia simul trita & linteo colligata in musti metretam demergito: & postquam vinum deferuerit, transfundito. Facit ad pectoris, lateris & pulmonis dolores: difficili vrinæ, rigoribus, retardatis mensibus, atque iis qui per gelidæ hæmis rigorem iter faciunt, potu auxiliatur. Conuenit & iis qui humores crassos gignunt: colorē quoque meliorem hilariorēmq; facit, & somnum conciliat, dolorēsque leuat, vesicæ ac rerum vitiis vtile.

*De vino ex Myrrha, pipere & iride.*

CAP. LXXV.

Fit & vinum ad destillationes, tussim, cruditates, inflationes & stomachi superfluos humores. Myrræ drach. iiij. piperis albidrach. j. iridis drach. vj. anisi drach. iiiij. Ita penitus contusa & linteolo illigata in sex vini sextarios coniicito: vinum post triduum excolato, & in lagena recondito. Ab inambulacione meraculum cyathi vnius mensura propinatur.

*De*

*De vino Nectarite.* CAP. LXVI.

Nectarites paratur ex helenio, quod alij Medicam, alij symphytum, aliqui verbascum Idæum, alij orestion, alij denique nectarion appellant. Radicis helenij siccæ vncias v. linteolo colligatas in musti sex congios addito, & post tertium mensem diffundito. Facit ad stomachi & pectoris vitia, ac vrinas quoque pellit.

*De vino è Nardo Syriaco, Celtico & Malabathro.* CAP. LXVII.

E Syriaca nardo & Celtica, malabathrōq; vinū factitatur in hunc modū: Singulorum minæ semissim in binos musti congios mitto, & post bimestre colato: cyathum vnuim cū tribus aquæ exhibeto. Bene facit hoc vnum nephriticis, ictericis, hepaticis, vrinæ difficultate laborantibus, decoloratis & stomachicis. Sunt qui acori vnciam vnam aut alteram, & Celticæ nardi vncias iij. in musti amphoram adiiciunt.

*De vino Asarite.* CAP. LXVIII.

Asariten sic conficito: Asari vncias iij. in musti heminas duodecim itidem adiicito. Id vni genus vrinam ciet, atque hydropticis, regio morbo laborantibus, hepaticis ischiadicisque conuenit.

*De vino è sylvestri Nardo.* CAP. LXIX.

E sylvestri Nardo sic fit: Radicis sylvestris

nardi recentis ac tritæ cibratæque vncias viij. in musti congium similiter addito, & duos menses inesse patitor. Utile hepaticis, vrinæ difficultate laborantibus, inflatis atque stomachicis.

*De vino Daucite.* CAP. LXX.

Daucites sic: Radicis Dauci planè contusa vncias vj. musti amphoræ similiter indito, atque transfundito. Facit ad pectoris, præcordiorum ac vluvæ dolores: menses pellit, ructus cit & vrinas: prodest denique tussi, convulsis atque ruptis.

*De vino è Salvia.* CAP. LXXI.

Vinum è Salvia similiter conficito: Saluiæ vncias viij. in musti amphoram, quæ eadem cum ceramio est, simili modo mittito. Valet contra renum, vesicæ & laterum dolores, sanguinis excreções, tussim, rupta, vulsa, contusa & menses suppressos.

*De vino Panacite.* CAP. LXXII.

Panacis vnciam j. in musti congium unum demittito, ac similiter elutriato. Prodest vallis, ruptis, contusis & orthopnææ: lienis crassitiem extenuat: est & efficax contra tortina, coxendicum dolores & tardas concoctiones: menses & partus extrahit; hydropi & venenatorum morsibus auxiliatur.

*De vino Acorite.* CAP. LXXIII.

Vina ex acoro & è dulci radice, consimili modo